

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

In festo die B. Matthæi Apostoli.

terem hominem, Eph. 4. v. 24. in Christo enim novæ simus creature, 2. Cor. 5. v. 17. ideo non configurati prioribus ignorantia desideriis, sed secundum eum, qui vocavit nos sanctos, & ipsi in omne conversatione sancti simus, 1. Pet. 1. v. 14. 15.

Exemplum habemus in Matthæo, qui illico malitia multum immersus, profligatus scelerator erat, sicuti publicani plerunque fraudibus ejusmodi dediti fuerunt, quibus ditescerent. Verum Servator extraxit illum, & ad Apostolatum vocavit, ubi statim obediens fecutus, calceos peccatorum exuit, surgens enim fecutus est eum: quin & ex debita gratitudine convivium instruxit, ad quod Christum cum aliis publicanis invitavit, ut & illi a Christo ad frugem perducti, novam virendi rationem, relictis teleniis, inchoarent.

Nos absque ulteriori præfatione ad ipsum Evangelium nos conferemus, ex instituto contemplaturi:

I. Αὐθεωτολογία, sive notitiam nostram.

II. Ξριστολογία, sive notitiam Christi.

J.J.

Exegesis.

Quemadmodum Deus cœlestis Pater, *Solem suum oriri facit super honos & malos, & unumquemque, sine discrimine radiis suis illuminat & foveat, Matth. 5. vers. 45.*

Ita & filium suum totum mundo misit, qui velut Sol justitiae, Mal. 4. v. 1. radiis gratiae suæ omnes homines illuminat, nî modo ipsi velo incredulitatis fenestras operiant,

sicut Judæi faciebant, de quibus Johannes ait, quod tenebras magis dilexerint, quam lucem, Joh. 3. v. 19.

Relius multo fecit magnus ille peccator Matthæus, cum enim sol justitiae radiis suis telonium ejus illuminaret, & filius Dei ipsum acclamaret. Sequare me, non multum cessabat, sed lucem hanc cum gudio suscipiens, surgebat & sequebatur Jesum ut ipse in prælecto Evangelio indicat:

Ad Notitiam nostri perveniemus si spectemus:

I. Matthæum confidentem, neque enim quis ante conversionem fuerit, abscondit, sed expresse profitet se publicanum, i.e. hominem injustum, qui scelere & injustitia graviter deliquerit. Ipse enim hoc Evangelium conscripsit, & si voluisse, nomen publicani facile omittere potuisset. Nemo enim tenetur allegare propriam turpitudinem, ut Jcti sentiunt: Verum ingenue fatetur, se publicanum fuisse, sicut omnes sancti in familiari more habent, ut crimina sua non abscondant.

Moses meminit dubitationis & diffidetia sua, Num. 11. v. 21. c. 20. v. 11.

David adulterii & homicidii, Psal. 51. v. 1. seqq.

Jeremias impatiens, Jer. 20. v. 40. Jonas inobedientia, Jon. 1. seqq.

Paulus vocat se primum peccatorum, 1. Tim. 1. v. 15. qui non dignus sit vocari Apostolus, 1. Cor. 15. v. 9. His exemplis Matthæus se conformat, & confitetur coram universa ecclesia quam fœdo in luto ante conversionem hæserit.

Hic in examen te, vocamus Christiane! An tu quoque in confessione peccata tua ingenue con-

confessus fueris & injuriam tuam agnoveris?

Hoc ipsa rei aequitas requirit: Si enim dixerimus, peccatum nos non habemus, ipsi nos seducimus, 1. Joh. 1. v. 8. 9. Verum multi celerant peccata sua, quoad possunt, ut carcere & tormentis extorqueri non possint.

Cum Cain fratrem suum Abel interfecisset, Deus ideo rationem ab illo poscebat, dicens: Ubi est Abel frater tuus? ille vero quasi nihil se attineret, respondebat: Nescio, nunquid custos fratris mei sum ego? Gen. 4. v. 9. 10.

Ita *Diabolus multos fascinavit*, ut non reverantur peccare, quando vero peccata agnoscere & confiteridebent, omni ratione negant, immo Jovem lapidem jurant, non se id fecisse, cum tamen in conscientia sua satis convicti sint, non recordantes, Deum omnino scire, quia in homine sunt, Joh. 2. v. ult. nec fraudulentius ut hominem decipi posse, Job. 13. v. 9.

Rahab meretrix concivibus suis persuasit, exploratores abiisse, cum tamen in solario domus suæ caulinis lini, operuisset eos, Jofuz. v. 6.

His lini culmis, multi turpitudinem cordis sui velare non verentur, hinc est, ut multi probi reputentur, qui tamen septem abominationes in corde suo habent, Prov. 26. v. 15.

Hæc perversa illa indeles est, quam à Protoplatis hæreditario accepimus. Veluti enim illi foliis ficus nuditatem suam post lapsum operire fatigebant, Gen. 3. v. 7. Ita semper peccata nostra extenuatum inus. Verum magno nostro incommodo: Qui

enim abscondit scelera sua, non dirigetur, Prov. 28. v. 13.

Tales hypocrite, qui peccata sua celant, *Diaboli consiliarii intimi & secretarii* sunt, ad suam ipsius perniciem. Quia enim non fugit cum, quod hominis maximus honos est, si Deo honorem dat, & in verecundia se humiliat, ut Daniel, c. 9. 7. Ipse quovis modo nos inde abstrahere nititur. Ideo nostrum foret, fraudulentias ejus adverte-re, nos ipsums reprehendere, & cum Jobo, in pulvere & cinere penitentiam agere, c. 42. v. 6. quin & publicam confessionem edere, dicentes: Ecce blasphemavi, respondere quid possum, Job. 39. v. 37. 38.

Id est *initium salutis*, teste Hieronymo. Quoniam tacui, inveteraverunt osflamea, Psal. 32. v. 3. 5. Quod David accidit, adhuc hodie evenire solet. *Ulceracula plus cruentant*, inquit Gregorius. Ita peccatum nihil aliud est, quam livor foetens. Esa. 1. v. 6. qui per confessionem aperiendus, alias homo nunquam in gratiam recipi potest. *Sicut aperis Deus operit, si tu operis, Deus aperit*, dicit Augustinus. Id quod fieri die novissimo, ubi Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, 1. Cor. 4. v. 5.

II. Matthaeum surgentem. Ubienim Christus cum vocat: sequere me, non diu moratur, sed continuo surgit de loco, ubi scenore, usura & injustitia enormiter in Deum & proximum suum peccaverat, abnuit in loco illo diutius persistere, ne occasione habeat ulterius in Deum delinquendi.

Hic

Hic probate, mi Christiane! utrum & ipse ad exemplum hocce, ab infusa & aliis peccatis abstineris, & novam vitam inchoaveris, quando a confessionario tuo de iis admonitus es?

Utiuam id ita à quibusque fieret: Verum ut verum fateamur, plurimi sacerdotes sunt ad bonum, & pénitentiam procastinant, dicentes: peccavi: & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens, Sir. 5. v. 4. 6.

Verum id nimis perversum est: Matthæus semel à Christo vocatus, surgit & sequitur Christum.

Quoties quofo tu admonitus es, in omnibus prope concionibus, ut pénitentiam agas, & tamen surgere recusalas, reverti nolens, Jer. 5. v. 3. Putasne vero hominum profligatissime! impunemente evasurum? Recordare Antiochum, qui etiam in scandalo peccatorum residuebat, tandem putabat se misericordiam consecuturum, verum sero sapiebat, 2. Macabæor. 9. vers. 13. Ita Deus adhuc hodie agit, si diutius pénitentiam hominis expectavit, ut tandem misereri desinat, Jer. 15. v. 6. Ideo dicitur: Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, Psal. 95. v. 8. Ecce, nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis est, 2. Corint. 6. v. 2. Quis scit annos hoc momentum ultimum sit? Homo enim nescit tempus mortis, Eccles. 9. vers. 12. Cras, cras, est vox corvina. Corvus, ait Augustinus, non rediit ad arcum columbare edit, Deus non querit dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. Ita & nos postquam peccavimus, ad frugem redeamus oportet, & Deus nos in gratiam suam reci-

piet. Revertere aversatrix Israel, &c. Jer. 3. v. 12.

Qui proinde hoc non observat, sed tum demum pénitentiam agere vult, quando non amplius peccare potest, ille nimis sero venit. Deus canit: lenata corvi non amat: sed gemitum columbinum in deliciis habet, si ex corde contrito oriatur. Christus in tempore intromittendus est, quando ad ostium stat & pulsat, alias abit, & non tam facile revertitur, Apoc. 3. v. 20.

Deus ferre non potest, ut proximum nos sollicitantem ad Crastinum rejiciamus, & reverti jubeamus, Prov. 3. v. 28. Quomodo placebit ipsi si à filiis seculi ita ablegetur, quod integrum sibi nondum sit, de scandalo peccatorum surgere, & post aliquot hebdomadas, menses, vel annos redire & pénitentiam expectare debeat;

Ah dubito, ne gratia
Qua sic abusus est data
Finaliter relinquat.

Ich fürcht furtwar/die Göttlich Gnad/
Die ei alkeit verspottet hat/
Wird schwerlich ob ihm schwelen.

III. Mariæm sequentem. Non enim modo de telonio surgit: sed & Christum promte sequitur: non absterret cum paupertas ejus, & forma despecta, in quantum temporis de loco in locum migrantem Judæi ad mortem usque persequuntur: sed reliquo telonio, ex qua magnas opes corraserat, majores divitias aestimabat improperium Christi, thesauris totius mundi, adsipiebat enim in remunera-



tionem ,ut de Mose scriptum , Hebr. ii. vers. 26.

Hic examineate, utrum & ipse tam promte Christum fecerit fueris, aut voluere tibi sit, vestigia ejus insistendi, juxta exemplum, quod nobis in tota vita suare reliquit?

Bernhardus alicubi scribit: Domine Iesu, omnes volunt venire ad te, nemo sequi. Et hoc verum est. Quis enim non libenter cum Christo esset? habet etenim verba vitæ æternæ, Johann. 6. v. 68. promittitque venientibus ad se vitam & abundantiam, Joh. 10. v. 10.

Quia vero Christum per asperam viam incedere, & per passionem & mortem suam in gloriam intrare oportuit, Luc. 24. v. 26. non arridet nobis, in illa via cum sequi, & per multas tribulationes intrare in regnum Dei, Act. 14. v. 22. ideo multi terrenas hasce voluptates potius eligunt, quam ut cum Christo afflictiones & persecutions, & postea denum mercedem expectare velint. Verum, habent mercedem suam, Matth. 6. v. 2. qui enim hic ridet, ibi lugebit, & flebit, Luc. 6. v. 25. 26.

Matthæus exsuscitat nos exemplo suo, sequitur enim Christum:

1. *Corde prompto.* Probe noverat, quod cum Iesu Nazareno non multum lucrari posset, ipse dixerat: *Vulpes foveas habent, Matth. 8. v. 20.* Verum id non deterret eum, sed potius animæ salutem respicit. Non enim in abundantia cuiusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet, Luc. 12. v. 15. Jac. 2. 5. Quidam de discipulis dicebat: cum cum Christus ad se sequendum invitaret: ut permetteret, se primum ire, & sepelire patrem suum, Matth. 8. vers. 21. Verum Matthæus ex tempore paratus est, & Christum

sequitur: ad nostram instructionem, ut & nos prompti simus ad compatiendum, ut & conglorificemur, Rom. 8. v. 17.

2. *Animo grato.* Instituit enim convivium, & animum gratum declarat, ratione beneficii, quod sibi exhibuerat, juxta illud: Cumminicet is, qui catechizatur in verbo, ci, qui se catechizat, in omnibus bonis, Gal. 6. vers. 6. Sic & nos Dominum honoremus de substantia nostra, Prov. 3. vers. 9. Qui enim verus Spiritualis negotiator est, vendit omnia, ut acquirat pretiosam margaritam, Matth. 13. v. 45.

Deinde & in eo gratitudinem suam ostendit, quod contribules suos reliquos publicanos ad hoc convivium invitat, & quasi Christo adducit, ut per verbum ejus vitæ ad poenitentiam adducantur, optat enim omnes tales esse, qualis ille est, Actor. 26. vers. 29.

Hæc vera fidei indoles est, quæ & hac in parte per caritatem efficax est, Gal. 5. vers. 6. ut spiritualis columba, adhuc alios in columbarium ecclesiæ adducat ut impletatur domus Christi, & mensa discubantium, Luc. 14. v. 23. Matth. 22. vers. 10.

Sic quilibet, imprimis vero animarum Pastores operam dare debent, ut illi, qui in delicto aliquo occupati sunt, aut alias in devia aberrarunt, reducantur, ne vacui apparet ante Dominum, die novissimo, Deut. 16. v. 16. Sed quando queret: *Ubi est gressus tuus?* Jer. 13. vers. 20. ille animose respondere & dicere possit: *Ecce, ego & pueri, quos dedit mihi Dominus,* Esa. 8. v. 18.

3. Proposito firmo. Etsi enim Pharisei & Scribæ non desinunt murmurare , sed ini-
quitatem de excelso loquuntur , Psalm. 73.
vers. 8. & constituerunt Dominum cum
discipulis extirpare , attamen non deficit
a Christo , sed virescit , ut palma , qui ad-
versus onus insurget , dum victoriam re-
portet , Psal. 92. v. 13.

Nos h̄ic iterum vestigiis ejus infistere , &
& si manum femel ad aratum miserimus ,
eandem minus retrahere & respicere de-
bemus , qui enim hoc facit , non aptus est re-
gno Dei , Luc. 9. v. ult.

Quodsi vero Christum sequemur in re-
gno gratiæ : eandem quoque aliquando se-
quemur in regnum gloriæ . Ubi enim e-
go sum , illuc & minister meus erit , Joh. 12.
vers. 26.

De Secundo.

Nunc alteram partem enodabimus ,
χριστονωσιαν , sive notitiam Christi ,
contemplaturi . Hic nobis in præsente
Evangelio proponitur :

I. *Tanquam solertissimus peccatorum
indagator.* Hic audimus , quod Matthæum
videat ad telonium sedentem : ita adhuc
hodie nihil eum latet , sive bonum , sive ma-
lum : scit operata tua , & ubi habitas , Apoc. 2.
v. 13.

*De Imperatore Augusto refertur , quod
oculi ejus adeo refulerint , ut uno intuitu
adspicinon potuerit , ideoque cum militem
quendam oculos subito dejicientem , in-
terrogaret , cur id faceret , respondit ille :
Quia fulmen oculorum tuorum ferre non pos-
sum . Verum de Christo multo æquius*

adseverare possimus , quod oculos lucidisa-
simos habeat , quibus omnia nuda & apert-
sunt , Hebr. 4. vers. 13. neque enim iis-
dem terret modo *impios* , sicut Hieronymus
maxime verisimiliter scribit , quod cum ementes & vendentes templo ejecerit ,
radii maiestatis & gloriæ ex oculis ejus re-
splenderint , alias tam multi ab uno viro ,
eoque inermi non facile expelli potuissent ,
Luc. 19. v. 45. sed solatur quoque oculis suis ,
& convertit impios ut exemplum Matthæi hic probat , quem humanissimo obtu-
tu suo Christus adeo illuminaat , ut multum
mutatus à seipso , relicto telonio , vitam su-
am emendaverit .

Hoc modo adspexit quoque Mariam Ma-
gdalenam , Luc. 7. vers. 48. ut & Petrum
cum eum terna vice abnegasset , Luc. 22.
vers. 60.

Adhuc hodie nemo convertitur , nisi
Christus eum illuminet , & per Spiritum su-
um Sanctum in eo operetur , & velle &
perficere , Phil. 2. v. 13. non enim est vol-
lentis , neque currentis , sed misericordis Dei ,
Rom. 9. v. 16. Ideo quilibet cum ecclesia
quotidie orare debet . O Domine Iesu ,
respicere digneris , me miserum peccatorem
oculis misericordia tua , quibus respexisti , Pe-
trum in atrio , Mariam Magdalenam in
convivio , & latronem in patibulo . Concede
mihi Omnipotens Deus , ut cum Petro digne
fleam , cum Maria Magdalena ardenti
amore te diligam , & cum latrone in aeternum
te videam .

Sed & unusquisque metuat oculos hosce
fulgidissimos , & fugiat peccata , vident e-
nim omnia , quæ homines faciunt , etiam
in occultissimis angulis , Siracides. 23.
vers. 28.

Ab-